



Sammelband 4

+

FACVLTATIS JVRIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQVA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI

DECANVS,  
**JOH. HENRICUS**  
*Meyer/ JC TVS,*

25

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAS. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.

*LECTORI BENEVOLO*

S. & O.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.



Rdua sanè & intricata est mate-  
ria Possessionis propter varias  
Variorum mire discordantes  
opiniones, atque spinosas inde  
emergentes quæstiones, quæ  
mirificè acutissimorum Dd.  
torserunt ingenia; etenim inter Gallos Molinæ  
ad Consuetudines Parisientes; Chassan ad Con-  
suet. Burgund. d'Argentr. ad Britann. Tiraquel.  
in declar. Alex. in Consil. & Frisiorum luculen-  
ti Juris Interpretis; quorum alter atque alter  
denegat Juri possessionis locum inter juris in  
re species, & postremus asserere nititur, ac si  
à facto possessionis jus possidendi separari haut  
posset, illudque cum possessione nasci & extin-  
gui, autumat. Verùm aliter sentire videtur  
genuina Romanorum Legum prudenter si  
enim, cessante possessione, & jus possidendi ef-  
set

set extinctum, tot insignia & admodum neces-  
faria Interdicta tam adipiscendæ, quam recupe-  
randæ atque defendendæ possessionis causâ  
comparata, essent planè frustra & proprio fun-  
damento destituta; quibus tamen ob callidita-  
tem, proterviam atque quorundam audaciam  
minimè, si privatim armis non utamur, caren-  
dum non est; quæ tamen expedita Juris saluber-  
rima remedia, quod omnium proprium est, in-  
tra annum Prætori proponenda sunt; incipit  
autem annuum hoc tempus à quo quispiam  
est turbatus; sit verò turbatio per nudam etiam  
oppositionem, et si turbator fructibus manum  
nondum admoverit, hinc tradit Ictus in l. II. ff.  
de vi armat. vim facit, qui non sinit pos-  
sidentem eo, quod possidebit, uti arbitrio suo,  
ut, quicunque impedit in sua re possessorem,  
interdicto conveniri possit; ad hoc quoque  
sufficient minæ & verborum jactationes, quæ  
obsint possidenti, ne commodè uti possit re  
suâ: Heres igitur, si possederit defunctus, iste  
autem intra annum non movit possessorium,  
possessione excidit, nec ad possessorium admit-  
titur, ast ipsi solummodo superest petitorium.  
Possessio non solum in corporalibus, sed æquè

in incorporalibus & Juribus sese exerit mediante exercitio & usu; Jura etenim, uti physica & naturalia, pedibus calcari & oculis demonstrari nequeunt; possunt tamen quasi possideri, & nullo jure deteriora sunt rebus corporis l. i. T. 3. ff. de A. T. A.P. & possidentur, cum actus, qui juribus hujusmodi appropriari possunt, usurpantur. Atque hoc non modo in juribus obtinet privatorum, sed quoque ad Regalia extenditur; non tamen si privatus eorum adeptus fuerit possessionem, adversus Principem neque in possessorio, neque petitorio obtainere valet, nisi & titulum probaverit, quodque in scriptis fieri; & duntaxat hoc admittitur in Regalibus cessibilibus; quae enim non existunt cessibia, neque sunt praescriptibilia; Incessibia & inseparabilia à Regali dignitate, putâ supremi honoris & ipsius Majestatis symbola penitus privatorum possessionem naufragant. De hac possessionis materia fusius tractabit ad pr. L. 18. ff. de acquir. vel amitten. possess.

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. JOHANNES WILHELMVS Ehring/  
Is natus est Longo-Salissæ d. 17. Junii, ao. Christi 1698. ex Patre quondam Nobilissimo Dn.  
PAU-

PAULO GEORGIO EHRINGIO, J. V. D. &  
Reip. Salz. Consule spectatissimo, nec non Se-  
reniss. Duc. Sax. Leucopetr. Commissario Pro-  
vinciali; atque Matre, ad secunda vota transeun-  
te, Viro Generoso Dn. SAMVELE WAGEN-  
KNECHT, Capitanco supremo nuptâ, MA-  
RIA GERTRAVT, Parentibus Dn. ELIAS  
HEINRICH ab AVEMANN, Seren. Duc. Sax.  
Isenacensis Consiliarii intimi, Praesidis & Dica-  
sterii & Regininis, hujusque Conjugae ANNA  
REGINA e gente WIDEMERCKERIANA  
prognatâ filiâ; Avo verò JOH. EHRINGIO,  
Ser. Ducis quondam Zizafensis Archiatro me-  
ritissimo, nec non Ecclesiæ Cathedralis, quæ  
Numburgi est, Canonico; Majorum ulterius ex-  
primere Genealogiam superseedemus, juvat præ-  
dicasse, illos fermè omnes è stirpe equestri ac  
perillustri (quos inter Lynckeriana, Wangenhei-  
mensis & Schelafana domus fulgent) exortos es-  
se, quorum munia in Aulis Saxonics & in Pro-  
vinciis exteris egregiè exacta sunt, atque adhuc  
hodiè à multis familiæ proximis tractantur exi-  
mici. Statim autem à teneris unguiculis cura  
B. Parentis ad honestioris vitæ inculcanda præ-  
cepta illum tradidit intra privatos parietes pri-

non

) ( 3

yatis-

vatissimæ doctrinæ nonnullorum Virorum piæ  
fieriisque fide docentium. Ad annos discre-  
tionis profectum & literarum elementis satis  
imbutum, ao. 1711. consensu & auxilio ampliss.  
Senatus Salzensis, celebre Gymnasium Portense  
illum exceptit, ubi per integrum sexennium, ut  
tempus studiis ibi pertractandis præstitutum,  
Viris inibi doctrinâ præstantissimis ac fidelissi-  
mis ad literas probè addiscendas usus est. Fun-  
damentis igitur, simul ac literis testimonialibus  
benè instructus abhinc discessit & anno 1717.  
Mens. nostram Musarum sedem, Erfordiam  
scil. accessit, ibique in Philosophicis Clar. Dn. M.  
VOLCMAR. STENGERVM, Phil. Prof. Publ. & Fa-  
culty sue Senior. Ducebat habuit atque docto-  
rem; nec, primum defuit Prælectionibus Dn.  
D. KNIPHOFIL, P. P. extraord. Dein & Collegio  
Dn. D. STRECKERI, P. P. ad Instit. Justinian. &  
Elect. Judic. Erfurt. Assess. Ord. interesse sedulò.  
Exhaustis juris principiis, Jenam 1718. se contu-  
lit, ibique Dn. D. BRÜCKNERVM, Consil. Sax. &  
P. P. ad ff. legentem auscultavit, pariterque Dn.  
D. NICOLAI PRAGEMANNI Collegia ad ipsius  
Juriſprud. ac Juris Natural. præcepta itemque  
illo præiente ad ductum Lauterbach. nec  
non

non ad Jus Canonicum docentem frequenta-  
vit; quibus inclytum Dn. D. BECKIVM ad Struvii  
Jurisprud. simulque in Jure Feudali D. FRIEDER.  
GOTTLIEB STRUVIUM, nec non ad Const. Crim.  
C. V. Imper. & ad Colleg. Pract. Proc. Civ. &  
Crim. Dn. D. JOH HEINR. HARTLEBEN, Duc. Isen-  
nac. Consilium adjunxit, insuper & Collegio  
Dn. D. TEICHMEYERI, ad Physic. Exp. interfuit.  
Tandem 1719. Mens. Decembr. Lipsiam fre-  
quentavit, & ibi in exercitiis practicis Beat. Dn.  
D. SCHACHERVM, ducem habuit ulterius; Dn.  
D. HOFFMANN verò Juris publici instillavit do-  
ctrinam. Exantatis studiis Academicis, in fo-  
rum prodire atque studio pratico nunc ad-  
movere manus animus fuit; Quā mente in  
Cranichfeldt, pago & præfectura Ser. Duc. Sax.  
Vinarienf. Jurisdictioni subjecto per biennium  
commoratus fuit, suam foro navans operam.  
Sed, cum dulce admodum natale solum, pa-  
triam repetit, ibique per unum & quod excur-  
rit, annum causis avidè occupatus fuit foren-  
sibus: Quò autem feliciores expediret profes-  
sus suasu Patronorum ambire Academicos  
honores ausus est, Nobis igitur exhibuit lite-  
ras, quibus intentionem suam declaravit atque

mo-

modestè postulavit, quò ad Candidatorum Exam  
men admitteretur; morem gessit Facultas &  
communicavit textus ex Jure Canon. *cap. V. X.*  
*de donat.* ex Jure autem civil. *L. XXVI. ff. de*  
*legat. Et fideicom.* II. quos legali methodo per-  
traetavit & per varias juris materias interroga-  
tus competenter respondit; receptus propterea  
est in numerum Candidatorum atque ipsi in-  
dultum, ut aggredetur publica specimina, tam  
cursoriam Lectionem ad *cit. L. 18. ff. de A. vel*  
*A. P. & Inauguralem Disputationem;* quibus  
solennibus Exercitiis præfinitus est seq. dies 19.  
Novembr. hor. consuet. in Audit. Jur. Collegii  
major. Quibus publ. actibus, ut praestò esse  
velint Magnif. Dn. Univers. Rector, Proceres  
& Jurisprudentiæ Cultores, officiosè atque ami-  
cè invitantur, etiam atque rogantur. Publ.  
Erfurti sub Sigill. Facult. Jurid. Dom. Trin. XXV.  
die XVIII. Novembr. M DCC XXV.

L.S.


AB 152989



Sb.

W18  
102





B.I.G.

S JVRIDICÆ  
ANTIQUA VNIVERSI-  
TATIS ORDINIENSIS  
ANVS,  
ENRICUS  
JC TVS,

CONSILIAR. DECRE.  
NIVERSIT. SENIOR,  
IC. PROVINC.  
RIMAR.

ENEVOLO

O.

DIÆ,  
IS, ACAD, TYPOGR,

25